SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino

JOANNE BAPTISTA


MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

B U S S I

A R C H I E P I S C O P O.

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem die 24. Augusti 1827.





B E N E V E N T I MDCCCXXVII.

Apud Gregorium Paternò Typographum Cameralem,

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ

ARCHIEPISCOPUS.

Decretum de Synodi aperitione.

In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Tertio, Venerabiles Presbyteri, regentibus Nobis hanc Dioecesim, in unum convenitis ad Ecclesiasticarum rerum progressum; quem sane non Patrum Doctrina ostendi fas esset, sed sua quisque experientia perspectum haberet ex Synodicis congressibus, quatenus ea, quae statuuntur, omni ex parte impleri curarentur. Quae enim correctione, et emendatione opus habent, cum solerter inquirant, et sincere denuncient ii, qui nobiscum laborant in opere ministerii; vix quidquam committeret ullus adversos consultissima Praedecessorum jussa in usum revocata, et in disciplinae observantiam, qua inter illustriores haec Dioecesis emicuit, novae semper fierent accessiones. Collaboratores igitur nostros, Venerabiles Vicarios Foraneos, Archipresbyteros, caeterosque animarum curae praepositos magis magisque impulsos confidimus ad custodiendas munitiones, quibus circumsepti fides, et mores intemerati servantur ab hostium versutiis. Qua-

propter hisce sub auspicis, tertiam nostram Dioecesanam Synodum, hac ipsa die 24. Augusti ad Omnipotentis Dei, et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae Deiparae, S. Michaelis Archangeli, B. Ap. Bartholomaei, SS. Pontific. Nostrorum, Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Philippi Nerii Confessorum, caeterorumque nostrae Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, et laudem apertam esse, atque inceptam volumus, decernimus, ac promulgamus.

TITULUS PRIMUS

De confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.

Dioecesanas Synodos per nos et a Praedecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his decretis non repugnent, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis et comminatis.

TITULUS SECUNDUS

De Sacramento Confirmationis.

Qui nullo poenarum, suppliciorum, mortis periculo, aut metu deterritus Dominum Jesum Christum confessus fuerit coram hominibus, Ipse in die judicii et eum confitebitur coram Patre suo. Quemadmodum vero scriptura dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo*; ita non ambigimus ad Baptizatorum levamen institutum esse sacramentum Confirmationis, quo homo coarmatur ad pugnam, perfectionem ad gra-

tiam recipit; ad pugnam confirmatur, et armatur; ac instruitur ad agones (a). Praeterea in susceptione hujus Sacramenti adhibetur Patrinus; ex quo id etiam praesidii confirmandus consequitur, ut cum Sacramento Confirmationis quasi firmissimis armis, tectus ac munitus in spirituale certamen, cui aeterna salus proposita est, descendit, ducem habeat, ac monitorem (b).

Congruum sane videbatur, ut quo formidabilioribus cum Potestatibus luctari debuisset, eo validiora misericorditer conferrentur auxilia per Sacramentum Confirmationis. Attamen non una susceptione Fidelis adultus praefatos colligit fructus; necesse est, ut eas adhibeat dispositiones, quae tum confirmandos respiciunt, tum etiam personam Patrinorum; quarum dispositionum summam cum accurate ex instituto collegerit s. m. Cardinalis Ursini edicto 9. relato in appendice Synodi 2. n. 5., volumus, ut quae de confirmandis adultis, ac Patrinis in eo decreta sunt, impleantur; et praecipue, quod nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus ingerat se ad tenendum confirmandum (c).

Clericos vero aperte prohibemus sine nostra expressa facultate munus Patrini in se suscipere, nisi sint cum confirmando conjuncti primo, aut secundo consanguinitatis gradu.

Districte inibemus Parochis sub poenis arbitrio nostro infligendis, ne schedulam, cujus tenorem retulimus in appendice hujus Synodi, signent iis, qui supra praescriptis qualitatibus minime fulgeant.

(a) *S. Melch. Papa ep. ad Episc. Hispan.*
(b) *Chatech. 2. p. de Sac. Confir. n. 15.*
(c) *Pontif. Rom. par. 1. de confirman.*

TITULUS TERTIUS

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

Cum fidelium cultus erga sacramentorum maximum in dies languesceret, et Angelorum pane frequenter refici non amplius impellerentur memoria immensae charitatis, qua Salvator nos ita dilexit, ut seipsum sub panis ac vini speciebus ad vescendum praeberet; Ecclesia potestate divinitus accepta praecepit, ut omnis utriusque sexus fidelis adultus ad minus in Pascha susciperet reverenter Eucharistiae Sacramentum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura (*a*).

Enim vero neque grati animi sensu, neque Ecclesiae indulgentia, neque comminatis poenis impulsi sunt fideles ad cultum aliquem reddendum Sanctissimae Eucharistiae; quoniam moerore animi Nobis relatum, multos non obsequi paschali praecepto: cui malo ut remedia dentur, jubemus Parochos juxta veterem praxim accedentes ad Synodum album eorum omnium, qui eidem praecepto non satisfecerint, Curiae nostrae praebere.

Item antiquum morem a cultioribus paraeciis retentum, schedulam Sacra Synaxi alias refectis distribuendi, in pristinum restitui mandamus; iis enim post tempus Paschale diligenter expensis, detegi commode queunt nomina deserentium in Paschate communicare.

Parochi vero, Confessarii, et quadragesimales

(*a*) *Conc. Later. IV. can. omnis utriusq. de poenit. et remiss.*

Concionatores hortentur fideles, ut ad Dominicam coenam frequentius accedant, et praecipue in solemnioribus anni festivitatibus, quibus olim tenebantur communicare, scilicet in Paschate, Pentecoste, et die Nativitatis Domini. (a)

Quisque demum Sacerdotum Sanctissimam Eucharistiam, qua decet, reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, et administret; quolibet octavo die fiat hostiarum, et particularum renovatio, consumptis quae superierint in Tabernaculo. (b)

Sacramentum Eucharistiae est etiam verum novae legis sacrificium; eoque nihil praestantius, nihilque salubrius esse potest, cum Deo Patri piaculari unigeniti filii sui corporis, et sanguinis oblatione cultus, et honor infinitus rependitur, unde tot ac tanta in nos derivantur ac defluunt divini amoris beneficia. Christus namque antequam pateretur discipulos suos ejusque successores novae legis Sacerdotes instituit eis praecipiens, transubstantiatione panis ac vini in corpus et sanguinem suum sese hostiam immaculatam offerre, quo cruentum illud Sacrificium semel in cruce peragendum repraesentaretur, ac ejus memoria in finem usque soeculi permaneret. (c) Quotiescumque autem istud latreuticum cultum Deo impenditur infinita prioris sacrificii merita nobis applicantur; Deum nobis propitium reddimus, benignum ac placatum, et nostra auferuntur peccata et peccatorum poenae atque flagella.

In celebratione Mysterii tam admirabilis ac Salutaris semper adhibiti sunt ritus, et peculiares caere-

---

(a) *Can. 16 de consecr. dist. 2.*

(b) *S. Rit. Cong. in Conchen. 3. septem. 1672, ad 3.*

(c) *Trid. Sess. 22. c. 1.*

moniae, quae dum juxta rubricarum praescriptum sedulo, pieque Sacerdotes observant, majestas tanti Sacrificii commendatur, et mentes fidelium per ea visibilia religionis ac pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitantur. (*a*)

Quamobrem sacerdotes omnes ad sacrum peragendum accedant non tantum ea puritate morum, quae ipsos decet, sed exteriori modestia, gravitate, ac congruenti veste: debitam praeparationem praemittant, et post Missae celebrationem saltem quarta horae parte in gratiarum actione permaneant. Praeterea omnia verba quae sive elata, sive submissa voce proferuntur, clare, distincte, ferventer, et sine ulla festinatione pronuncient; tempus autem quo sacrum expedire debent non sit infra tertiam partem horae; ita in toto religioso actu omnis irreverentia, quae ab impietate vix sejuncta esse potest, (*b*) declinetur, *ne Sacerdos inter homines Deumque positus ad iracundiam sedandam, si negligenter, immodestequc suo munere fungatur, Deum magis irritet.* (*c*)

Proscribimus autem in re tam grandi vanitatem, sive ostentationem, vel levitatem redolentia, quod foret bireto quatuor angulorum uti, vel annulo in digitis gerere dum Missa celebratur, aut his similia: vetitum enim expresse est cunctis Sacerdotibus licet Protonotariis Apostolicis, aut qualibet dignitate praeditis in illo actu annulum in digitis deferre. (*d*)

(*a*) *Trid. loc. c.*
(*b*) *Trid. sess. 23. de Sacrif. mis.*
(*c*) *Clemens XI. ad univ. Episc. in litt. 16. martii 1703.*
(*d*) *Bened. XIV. instit. 34. n. 15.*

TITULUS QUARTUS

De Matrimonio.

Matrimonii contractus ad pristinum decorem a Christo Domino restitutus magnum inter septem Sacramenta ab Apostolo appellatur, quia Christi unionem cum Ecclesia repraesentat, comparante eodem Apostolo virum Christo, uxorem Ecclesiae. Solet non raro accidere, ut viri, et mulieres sua cupiditate impulsi, quod carnale in matrimonio, nihil aut parum quod spirituale est prosequentes conjunctionem accelerent omissis ritu et coeremoniis ab Ecclesia praescriptis, et forsan sacramentum suscipiant sine dispositionibus requisitis ad obtinendos illius effectus: sequitur inde, ut inter conjuges maritalis concordia non foveatur, filios ipsi non educent secundum Dei voluntatem, et plurimas, maximasque calamitates in Ecclesiam importent. Quocirca perscrutentur Parochi, matrimonium contrahere volentes, si vim et naturam sacramenti calleant, sciantque celestes benedictiones quas secum fert si rite, ac recte a fidelibus suscipiatur: in ejus vero celebratione caveant, ne quidquam omittatur decreti (a) Cardinalis Ursini „ *quod solemni in faciem Ecclesiae sponsorum conjunctioni, nisi de mane et conjugum utroque confesso non assistant; missam inde de sponsis celebrari desideramus, cui sponsi ipsimet adsint, et in ea ipsimet sacram sumant synaxim, et sacerdotalem ex Ecclesiae catholicae ritu accipiant benedictionem. Quatenus vero necessitas (per nos tantummodo probanda) aliter fie-*

(a) *Synod.* 29. *tit.* 6. *c.* 5.

ri postulet; id Parochi tum prorsus exigant, ut de mane, ipsi sponsus, et sponsa poenitentiae se sacramento expiaverint, et Christi corpore depasci meruerint.

Dum autem nonnulli ex spónsis nihili pene faciunt tributa a Deo auxilia; morem gerere non reformidant vaniloquis ac seductoribus turpis lucri gratia talia docentibus perversa, quod incantationibus et ritibus superstitiosis ligamen ponere vel solvere queant ad matrimonii consumationem, aut impediendam susceptionem prolis. Confessarii de hujusmodi vanitatibus ac insaniis falsis, quae meruerunt Ecclesiae maledictum, poenitentes interrogent, eosque moneant oneris denunciationis, et gravium poenarum in quas incurrunt tam illis praestigiis operam dantes, quam in iis fiduciam ponentes.

Evellatur insuper abusus ad longum tempus protrahendi conjugatorum cohabitationem, quem accepimus irrepsisse in multis Dioecesis oppidis; cum id non amore castitatis fiat, sed causis matrimonio extraneis, et illius bono repugnantibus. Laudabile siquidem est etiam in statu conjugali castitatem servare; sed si causis non justis et cum periculo incontinentiae vel a fide maritali deficiendi differatur sponsorum cohabitatio, isti vel qui eos impellunt ad ita agendum excusari non valent a gravi culpa. Quatenus praefati sponsi, vel culpabiliter operam dantes ad eorum differendam cohoabitationem sacramentales emittant confessiones; moneantur a confessariis de statu damnationis, nec eis absolutionem impertiantur, nisi muneri suo satisfecerint vel fincere quantocitius id adimplere promiserint: Parochi autem sollicitudinem adhibeant, ne in suae Paroeciae ambitu hujusmodi inconvenientia oriantur, et quatenus adsint, arcere pro viribus studeant.

TITULUS QUINTUS

De vita et honestate Clericorum.

Utinam Clericorum vivendi ratio composita foret ad prescriptiones legum moris, et disciplinae! Existimaremus nos magnam consequutos retributionem, si nihil reprehensibilis inveniremus in clericis; si ipsi essent in conversatione cauti, in divinis rebus ac ministerii operibus solliciti atque solertes; modesti in habitu, alieni a secularibus negotiis, et addicti solummodo ad suo munere fungendum, promovendamque majorem Dei gloriam. Debet quisque pro modulo intelligere, ob humanae naturae debilitatem ea nequaquam fieri et quovis tempore irrepturos abusus, quos coerceant oportet a Domino super speculam constituti ad moderationem humanorum actuum. Quare nemo admiretur, quod tertio loquamur de officiis propriis clericorum, utilesque leges ad reformationem promulgentur.

Primo ad virtutem castitatis, quae clericos veros Dei Angelos facit, sermonem convertamus oportet: onus servandae continentiae sacris ordinibus initiatis imposuerunt generalia Concilia; ad nos autem incumbit Patrum placita diligenter implere, qua super re mandata renovamus Vicariis Foraneis, et Parochis, ut violatores harum legum, sepositis omnibus humanarum rerum respectibus, Curiae Archiepiscopali denuncient pro delinquentium exemplari punitione, qua et ipsos et alios a similibus perpatrandis abstenturos confidimus.

Leges siquidem de coelibatu ita accipiendae, ut Clerici ab iis abstineant, quae vel praebent proximam occasionem illas violandi, vel in plebe ef-

fciunt transgressionis suspicionem: prohibent namque Clericos et alii conciliorum canones a conversatione cum mulieribus, nimia familiaritate et cum iisdem cohabitatione, nisi arcta cognatione junctis; sicuti eadem vetantur decretis Synodalibus hujus Dioecesis, quae pariter confirmamus, ac observari praecipimus.

Item forma, et colores habitus clericorum praescripti sunt pluribus Synodalibus decretis: verum eo pervenit horum contemptus, ut pientissimus utriusque Siciliae Rex, quem Deus ad Religionis bonum diu sospitem servet, regalis curae putaret in locis suae ditionis malo afferre remedium, promittens locorum Ordinariis (a) contra contumacium pervicacitatem auxilium brachii secularis. Tantae sollicitudini respondere nos decet aequo animi ardore; et ideo jubemus, quae in praecedentibus Synodis sancita sunt, nullo mendicato praetextu adimpleri tam de pileorum forma, quam de coetero Clericorum habitu.

Clerici praeterea in vitae curriculo temporalium rerum divulsionem coruscare faciant ut ii, qui foris sunt, vereantur de ipsis pronunciare, quod sint superbi, iracundi, vinolenti, percussores, turpis lucri cupidi; vel serviant commessationibus vel choreis, vel aleis, vel lusui, vel soeculari negotio; sed hujusmodi sit clericorum vivendi genus, ut laici nil inspiciant praeter studium tam addiscendarum disciplinarum, quam procurandae suae et proximorum aeternae salutis.

Ad consumationem quippe Sanctorum Sacerdotium Christus in Ecclesia instituit cum amplissimis facultatibus, quales sunt divinorum dispensatio, et peccatorum remissio; quam postremam solius Dei esse, et i-

---

(a) *Litt. diei 14. praeterriti Julii.*

psi confessi sunt Judaei, dum Salvatorem nostrum admirabantur palam ea utentem. (*a*)

Haec potestas gratis, quomodo acceperunt, exercenda est a Sacerdotibus; et parvi divina pendere, maleque conscientiae suae videntur consulere ii, qui in necessitatibus tali officio desunt, quia mercede carent, vel beneficium non possident onere gravatum audiendi sacramentales fidelium confessiones. Errorem hunc patefacit B. Liguori in suo opere Theol. Moral. (*b*) ubi sequentia anonimi opusculi verba refert: „ *Chi ha talento per confessare, e vede nella sua terra la mancanza della confessione, e conosce o che non si frequenta, o si strapazza, è tenuto ad amministrare tal sagramento, e se non è di età molto avanzata, è tenuto in coscienza ad abilitarsi al meglio che può*; „ Subjicit autem auctor, simplicem sacerdotem etiam a gravi incommodo non excusari ad audiendas confessiones „ nec valet dicere (*c*) quod Sacerdos simplex si teneretur confessiones excipere, teneretur tantum ex charitate, sed haec non obligat cum gravi incommodo, prout esset labor insumendus ad acquirendam scientiam satis necessariam ad excipiendas confessiones. Nam respondetur quod licet exercitium confessiones excipiendi sit opus charitatis, tamen non oritur ex simplici motivo charitatis, sed ex proprio Sacerdotis officio, cui ex Christi institutione haec obligatio est annexa eique satisfacere debet Sacerdos, quando urget Populi necessitas. „ Benedictus vero XIV. qui in sua Bononiensi Dioecesi novum examen confessariis praescripsit in confirmatione facultatum fieri solita post

(*a*) *Matth. cap.* 9.

(*b*) *Tract.* 6. *de sac. Poenit. dub.* 1. *c.* 2. *n.* 625.

(*c*) *cit. Loc.*

annum concessionis, declarat (a) „ *in grave scelus pro-*
„ *labi cum miserum Sacerdotem, qui licet necessario*
„ *confessarium agere non debeat, tamen hoc pio mu-*
„ *nere perfungi declinat ob superbiam, quae ipsum ac-*
„ *cedere ad novum examen prohibet, aut ob timorem*
„ *ne ipsius ignorantia atque imperitia ad gerendum*
„ *gravissimi momenti negotium detegatur.* „ Si quis ergo Confessarius, quia participationem non habet, confessiones audire recuset: vel ubi confessariorum copia deest, adire non velit, quia nullum ibi beneficium possidet, vel quocumque simili praetextu istud Sacerdotis officium non exerceat in casu necessitatis supra explicato; ejus conscientiam peccato omissionis graviter oneratam sciat ex laudatis auctoribus: idemque de coeteris Sacerdotibus sentiendum, quorum mores, et ingenii sufficientia idoneos renuncient ad praefatum officium, et tamen sese disponere praetermittunt ad debitas consequendas facultates.

Aures profecto abhorrerent accipere, quod Sacerdotes etiam simplices, Parrocho legitime impedito, nollent vocati extrema praebere levamina in vitae periculo constitutis: quae sane inhumanitatis species si committi contigerit, poena punietur pro prima vice quindecim dierum reclusionis in aliqua religiosa domo, et totidem dierum suspensionis a celebratione Missae; atque augebitur poena crescente contumacia. In dubium namque verti non potest, simplicem etiam Sacerdotem, quando alius paratus non est, teneri in tali necessitate audire et absolvere volentem confiteri, et juxta optimae notae Theologos, inter quos B. Liguori (b) teneri Sacerdotem non Parochum cum periculo vitae absolvere moribundum existentem in mortali.

(a) *instit.* 94. *n.* 15.
(b) *loc. cit, n.* 624.

TITULUS SEXTUS.

De iis, quae ad universas Constitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus ut suam quisque obligationem agnoscat praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parrochi, et Archipresbyteri, et beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo, quod ad vitam et honestatem Clericorum pertinet infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea, ut in qualibet conferentia casuum conscientiae, et SS. Rituum habenda in singulis locis Dioecesis juxta Synodales Constitutiones, legatur et explicetur per Praefectum dictarum Conferentiarum unus saltem titulus tam hujus, quam nostrarum praecedentium Synodorum.

FINIS.

Judices, et Examinatores Synodales confirmati sunt omnes, praecedenti anno electi.

Et insuper adjecti sequentes Examinatores

Admod. Rev. Dominus Angelus Compatangelo Abbas Infulatus Collegii S. Spiritus.

Multum Rev. Dominus Puschalis de Paschale Rector Seminarii Archiepiscopalis, Vicarius For. et Archipresb. Terrae Gambatesiae.

Ven. Presbyter Praeses ~~pro tempore~~ Domus SS. Miss. sub tit. Pretios. Sanguinis hujus Civitatis.

Ex Clero Regulari

Rev. P. L. Franciscus Jeremia Cangiano Ordinis

Praedicat. Prior hujus Conventus S. Dominici.
Rev. P. [redacted] Rector Collegii Soc. Jesu hujusmet Civitatis.
Rev. P. Antonius Miele Rector Congregationis SS. Redemptoris S. Angeli ad Cupulum.

JOANNES BAPTISTA CARD. ARCHIEP.





Paschalis Can. Ventura Synodi Sec.

A P P E N D I X.

Ad Tit 2. de Sacram. Confirmat.

Formola della schedola da farsi da' Parrochi, e Rettori, a' Cresimandi.

N. N. di età d' anni figlio e figlia di N. N. e N. N coniugi della parocchia N. dimanda di essere cresimato. Il Padrino sarà N. N della parocchia N. hanno i requisiti ec. in fede ec. a dì del mese anno

Io N. N. Arcip. o Parroco o Rettore di N.